



MEMORIA

VIRI  
ADMODUM REVERENDI, CLARIS-  
simi ac Excellentissimi,  
DOMINI

JOANNIS  
AFFELMANNI

S. S. THEOLOGIAE DOCTORIS emi-  
nentissimi, in Academia Rostochiensis Professoris  
dexterrimi, celeberrimi, orthodoxae religionis pro-  
pugnatoris acerrimi.

Qui die 28. Februarij anni 1624. inter 10. &  
11. antemeridianam pie & placide in Christo Rostochi ob-  
dormivit, cujusq; corpus ibidem 3. Martij terra  
demandatum est,

In solempni conventu Academico die 26. Februarij  
Anni 1625. Rostochij celebrata

ab  
ERNESTO COCCIO  
S. S. Theologiae Studioso.

MD(0)90  
ROSTOCHI  
Literis Joachimi Pedani, Acad. Typog.



AD VIRO  
Admodum Reverendo, Clarissimo ac  
Doctissimo,

DN. M. CASPARO VVAGNERO  
Aulæ Sverinensis Ecclesiastæ dignissimo,  
Dn. Patrono, Fautori ac promotori summæ perpetuæq;  
observantiæ cultu submissè prosequendo,

ET

Clarissimo, ac Literatissimo Viro,

DN. ANTONIO AFFELMANNO  
U. CANDIDATO eximio, Fautori ac amico  
multis nominibus honorando,

S.

**A**udabilis admodum consuetudo est,  
quod Viri de Ecclesia bene meriti, mortali hac vita  
in Domino defuncti, posterorum encomijs ac oratio-  
nibus publicis ornentur. Inde siquidem ceteri vir-  
tutis stimulos animis concipiunt, quibus ad res  
praclaras bene gerendas excitantur, & exempla  
simul audiunt, quæ in honestissimo omnium virtutum studio possunt imi-  
tari. Hinc extant Orationes D. Hieronymi de vita Malchi, D. Am-  
brofij de obitu Valentiniæ & Theodosij Imperatorum, Nazianzeni  
de laude Cypriani, Athanasij, Basilij, & aliorum. Sic Græcos & Lati-  
nos Scriptores extra Ecclesiam suos oratores & philosophos laudibus in  
cælum extulisse, quis nescit? Et nos eximia Ecclesia lumina oblivione  
sepeliremus? Non puto. Merito ergo præclarum illum morem lau-  
dandi Viros de Ecclesia optimè meritos in Christianis Academijs, &  
Scholis

Scholis retinemus; quo factum, ut Lutheri, Chemnicij, Chytræi, Hun-  
nij, Hailbrunneni, Mylij, Hotteri, & aliorum magni nominis Theo-  
logorum vitam & res, in Ecclesia præclare gestas, à Viris Excellentissi-  
mis descriptas, non sine insigni fructu legant senes, legant juvenes. Cum  
itaq; præclarissimus ac eminentissimus Vir Dn. JOHANNES AF-  
FELMANNUS S. S. Theol. D. & Professor celebratissimus an-  
te annum inter mortales esse desierit, pietati & equitati consentaneum  
esse duxi, Ipsius vitam, studiorum cursum, egregia dona & virtutes,  
publicâ oratione celebrare, ut ita grati meum animum erga defunctum  
preceptorem testificarer: Vestro Nomini a. Viri, Admodum Reveren-  
de, Clarissimi, Præstantissimi, Doctissimi, hanc parentationem  
sacram dicatamq; volui. Ut certum esset argumentum meæ erga vos  
observantiæ & gratitudinis, amicitiaq; nunquam interitura. Te  
Vir admodum Reverende ac Clarissime Dn. M. Wagneræ colam, quam-  
diu superstes ero: Mens enim mihi in fronte est; ut sentio, sic loquor:  
colo, inquam Te, & colam, quia merita tua alla ratione compensare  
non possum. Te Vir Clarissime ac Literatissime Dn. Antoni amabo,  
tuis ero, quàm diu spiritus hos regit artus. In istum ergo finem hanc  
parentationem vobis offero, & ut serena fronte accipiatis, peto, de quo  
parentationem vobis offero, & ut serena fronte accipiatis, peto, de quo  
nullus ambigo. Ienava ex alto bene vobis dicat, & diutissimè conser-  
vet sospites in Ecclesia, Republica & multorum bonorum commodum,  
Amen. Ita volebam Rostochij die 25. Martij, Anno à nato JESU  
nostro æternum benedictissimo, 1625.

V. R. D.

C. & P.

Studioissimus

Ernestus Coccius.

A 2

RE-

537527

RECTOR  
ACADEMIE ROSTOCHIENSIS,  
JOHANNES QUISTORPIUS

S. S. Theol. D. Professor & Ecclesiastes,  
Academia Civibus S.

**A**nnus est, quando Virum Reverendum, Clarissimum, Excellentissimum, Dn. JOHANNEM AFFELMANNUM, S. S. Theologiae Doctorem & Professorem eximium, amisimus. Huic, quod & ante alijs factum esse scimus, justa parentando faciet anniversario mortis die recurrente, Praestantissimus & Doctissimus Dn. ERNESTUS COCCIUS. Ad hunc audientium, ut crastino die hora nona Academia civis frequententer conveniant, operose contenderem, nisi tum Reverendos, Consultissimos, Experientissimos, Clarissimos Dominos Professores, Doctores, verbi divini ministros, qui Dominum D. AFFELMANNUM, dum in vivis fuit, partim collegam, partim amicum suavisimum, tum omnis ordinis Studiosos, qui illum Praeceptorem habuerunt, id sponte sua facturos arbitrarer. PP. 25. Februarij, Anno 1625.

ORA-

ORATIO.



Miseram vitae humanae miseriam! o miserum & luctuosum Ecclesiae Dei casum! o durum & acerbum religionis Christianae fatum! Dolor me retardat, ut verba promere vix possim, cum tamen dicendi causa huc accesserim: Occidit enim JOHANNES AFFELMANNUS. Cecidit lumen & columna Academiae, gemma Reverendae Facultatis Theologicae: Vae nobis, quia peccavimus. occidit JOHANNES AFFELMANNUS. novam passa est Academia cladem. Vix biennium abiit, cum DN. Doctorem EILHARDUM LUBINUM amisit, vel ut pie magis & Theologicè loquar, praemisit. At quem virum? quem Theologum? Lumen profectò & firmamentum Scholae nostrae & Ecclesiae Christianae eximium: Vulnerare hoc nondum sanato, Deus iterum novum Ecclesiae nostrae infligit, occidit JOHANNES AFFELMANNUS. Quis non lugeret miseram Academiae nostrae stasin, quae brevi tempore tantorum virorum jacturam fecit? Occidit JOHANNES AFFELMANNUS, magni nominis Theologus, decus Academiae nostrae eximium, illustre pietatis exemplum, assertor purioris religionis strenuus, constans, fidelis.

Abne o interfecto, David exclamat. *Hodie cecidit Princeps, & maximus in Israel.* Ego ita; Praeterlapso anno occidit magnos Ecclesiae Doctor: magna Ecclesiae columna:

A 3

Quis

Quis medebitur huic malo? certè non velut fungi nascuntur, vel in trivijs reperiuntur Ecclesiarum Scholarumque Doctores pij, fideles, prudentes: Sed uti divinæ bonitati unice acceptum est ferendum, quoties talia lumina Deus in Ecclesia accendit: Ita si eadem præmaturo fato exstingui sinat, nonnè iræ ipsius indicium erit longè evidentissimum?

Tarquinius vultures aquilarum foetus dilaniantes regni amissionem portendisse, referunt historiographi. Cæjus Hostilius Mancinus Italicum bellum ingressurus, sacrificans aves augurales & caveis dimissas avolare nec redire cernens, sibi ipsi Deorum iram est ominatus. Imprimis aquilarum advolatum & commorationem præfagium successus felicitis, avolatum vero omen infausti exitus Romani reputabant. Aquilis Spiritus Sanctus pios Ecclesiæ Doctores comparat, assimilat: Hi quamdiu militanti Ecclesiæ in his terris docendo præfunt, statum ejusdem felicem conservant, vultures, locustas, & ranas Apocalypticas abigunt, ijs verò ereptis, & in Ecclesiam triumphantem avocatis, Draco infernalis cum exercitu viperarum & serpentum liberè grassatur. Quis enim ovibus Pastoribus destitutis non timeat? Quis luporum rapacitati easdem expositas esse non animadvertat? Experta est hoc ipsum Africa, quàm fido Ecclesiæ Doctore D. Augustino, Episcopo Hipponensi mortuo, Arrianismus luis Epidemicæ ad instar invaluit. Et notum est aliàs, quæ *συνπάθει*, tum in Ecclesia, tum in politia civili, magnorum Virorum abitus & obitus, plerumquè sint inseguræ: quid quæso attinet pluribus testatum facere, cum vel Bono cuiq; proprius animus futurorum eventuum, triste ferat præfagium.

Nolo autem istæ exaggerare copiosius, ne malè ominari

nari videri possim: quin tibi potius beatissime Doctor AFFELMANNE Præceptor, dum adhuc superstes eras, multùm dilecte, ex animo gratulor, quod pelagum malorum nostris cervicibus adhuc imminentem, felicissimè enastis, & ex mundi hujus procellis ad sempiternæ beatitudinis portum aspirasti. Fac Pater clementissime, ut tanti viri fato moniti, tibi ad vitæ emendationem severè vocanti, vel tandem sanctè obediamus, pœnasque nostris peccatis poneritas, favente tua gratia, declinemus & avertamus.

Quid est autem, quod his, quæ modo à me sunt dicta, amplius adjiciam? nihil equidem video restare aliud, quàm ut beatissimo meo Præceptori justa solemnia persolvam. Quam sanè provinciam nunquam imponi passus mihi fuisset, si spectare voluisset, quàm ampla ad dicendum sese offerret materia: Quæ enim obsecro orationis vis? quæ dicendi facultas AFFELMANNI nostri meritis, non dico amplificandis, sed saltem enarrandis par esse possit? Ut autem hæc omnia animum meum non leviter ex una parte perturbant; Ex altera tamen & favor vester me consolatur, excitat. Et quanquam alium vos libentius audituros nullus dubito; tamen quia, & pietas amorquè in Præceptorem, & non pauci Virorum bonorum meum studium approbaverunt, & quod omnium maximum est, insignia Præceptoris mei merita, quibus me quoq; sibi ad æternam gratitudinem devinxit & obligavit, aggrediar vestra pace ad dicendum.

Dicam ergò ordine de vitæ illius ingressu, progressu, egressu: non quidem, quantum pro viri dignitate debeo, sed quantum pro ingenij tenuitate, & temporis brevitate, queo, quantumque ex aliorum fide dignorum sermone,

tum usu & consuetudine ipse compertum habeo: Idque non secundum Rhetorum præcepta Encomiastica aut leges panegyricas, cujuscumodi in Olympicis conventibus Graciam olim observavit, sed rudi, quod dici solet, Minerva.

Quod dum brevi eaque simplici, & nulla prorsus Rhetorum facundia aut amplificationibus exornata, & eam ob causam minimè fucata, sed candida oratione explico, à vobis *Magnifice Domine RECTOR, Viri admodum Reverendi, Clarissimi, Excellentissimi, Amplissimi, Consulissimi, Literatissimi, Auditores omnium ordinum Præstantissimi, Doctissimi*, humiliter & obnixè oro, ut aures benignas mihi præbeatis.

Memoriæ proditum est ex vetustatis monumentis de Themistocle viro nobili & præclaro, quem ferunt Seriphio cuidam in jurgio respondisse, qui dixisset, se non suam, sed Patriæ gloriâ ipsum splendorem assecutum, Nec hercule, inquit, Si ego Seriphius essem ignobilis, nec tu, si Atheniensis, clarus unquam fuisses. Benè & optimè sensit vir ille bonus & optimus, veram nobilitatem non oriri ex splendore parentum & Patriæ, sed ex re longè alia, nimirum ex sola & solida virtute.

Esi vero nostrum AFFELMANNUM sua virtutis nobilitet & extollat, non exigua tamen laudis accessio ei accidit ex Patria, undè oriundus. *Quæ vero? Susatum*, nobile terræ Westphalicæ decus. Ecquis enim est, qui istius civitatis multis de causis claritatem non miretur? Quis non Amplissimi Senatus prudentiam suspiciat? Quis non elegantissima urbis ædificia lautè magnificèque constructa, templa, tot ordines civium, eorumque pietatem & dexteritatem admirabilem: singularem universi populi consen-

sio-

sionem ac concordiam: opes non invidia, non fraude, non avaritia, non furtis ac rapinis, non pravis ac sordibus artibus rationibusquè quæsitæ, sed labore, sudore, industria, parsimonia, quæ maximum est vectigal omnium, comparatas, non superbiæ ac luxuriæ, sed liberalitatis munificentiaquè instrumenta commendet, & cum admiratione quadam extollat? ò urbem Deo hominibusquè charissimam! ò civitatem præclaram! Tu sedes es bonorum: Tu domicilium magnorum virorum: Tu terræ Westphalicæ lumen: Tu deniq; communis studiorum Patria. Te igitur, quod Reipublicæ literariæ virum tam eximium peperisti, qui sua præclara eruditione, & vitæ integritate bonam orbis partem illuminavit, quem ad caelestem Academiam accersitum ac assumptum adhuc dolemus. Te, inquam, Deus omnium bonorum dator ac recompensator liberalissimus, sic præsentis sui numine curabit atquè custodiet, ut mali justitiam Reipublicæ tuæ severitatemquè Magistratum tuorum formident ac metuant: Boni æquitatem sentiant ac mirentur, tuas tuorumquè civium virtutes omnia secula commendent, omnia Doctorum virorum monumentaq; laudent ac prædicent, splendorem opum, divitiarumquè tuarum ad beneficentiam, liberalitatem, pietatem, reliquasq; virtutes expositarum ad præclaras res honestasq; actiones, & aggrediendas & obeundas ad communem hominum societatem juvandam paratarum cunctæ cernant, imitenturq; reliquæ terræ Westphalicæ civitates: Tibi omnes mortales ea bona cupiant & concilient ac parent, quibus nec diuturniora fieri in terris sive à Deo, sive ab hominibus concedi possint.

Eà in urbe Clarissimus noster AFFELMANNUS natus anno gratiæ millesimo quingentesimo octavo, mense

B

Novem-

Novembri, ipso die Catharinæ, Parentibus honestissimis, omni laude dignissimis.

Ægyptij demortuorum solemnem facturū memoriā, patriæ, loci, nullam habebant rationem, sed & genus & familiam silentio prætervehebantur, cum omnes æquē nobiles esse judicarent. Rectius sanè & melius cum Græcis suis Pericles honorificè majorum esse laudes de prædicandas existimavit: Romaniquē illi rerum Domini, toga sagoquē nobilissimi, multo ordine & insigni pompa ab ultima origine majorū imagines defunctis præferre solebant. Neq; hoc absq; ratione. Ut n. plantæ è bono lectæ genere, solo fœcundo depositæ accuratè cultæ, tam demum justa ætate, fructus credūtur ferre optatos, sic in hominibus, ut educationem, ita quoq; patriam & genus spectandum judicarunt. Esto jã contra Ajacem jactabundum, gentis & proavos, & quæ non fecimus ipsi, nostra non esse putanda, Ulysses defensitet. Esto: ubi genus laudatur, aliena laudari. Esto nobilium genus nihil aliud, quàm inanis obsoniorum fumus, neminem nutriens: Attamen ut bona ex radice rami progerminant boni, & arboris probæ fructus mali non sunt; Sic & à parentibus bonis bonos sapiensimè nasci, &

*Fortes creari fortibus ac bonis:  
esse juvenis, esse in equis Patrum  
robur; nec imbellem feroces  
progenerare aquilas columbam,*

Ut cum Latinorum Pindaro loquar, nemo inficiatur. Undè & Ulysses ipse non potest non Jove se esse progenatum gloriari. Et quemadmodum obsoniorum fumus neminem quidem nutrit, nares tamen afficit. Ita etsi quidem paren-

tum

tum aut stemmatum antiqua gloria, neminem beat, virtutis tamen admonet. Per majorum exempla velut è specula lumen posteris ostenditur, quod sequantur, necessitate quadam constricti, ne ab Antecessorum virtute degeneres deviant. *Virtutum igniculis animi vehementissimè accenduntur, majorum cum imagines intuentur, quæ erat vox Q. Fabij Maximi & P. Scipionis, & memoria rerum gestarum ea flamma in pectore egregijs viris crescit, quæ sedari prius nequit, quam virtus istorum famam & gloriam adacquaverit;* ut Majorum claritatem non postremam felicitatis, sed facile primam partem jure meritò dixeris. Eandemq; A FELMANNUM nostrum sortitum esse, in propatulo est. Parentem enim habuit Virum Amplissimum & Spectatissimum DN. HINRICUM von Affelen / Reipublicæ Sufatensis Senatorem, virum ob officiorum & gratificandi promptitudinem, animi candorem & integritatem in illa urbe inprimis laudatum & clarum: Matrem verò matronalium virtutum splendore conspicuam foeminam ANNAM MICHAELIS, Amplissimi & Consultissimi Viri, DN. SIMONIS MICHAELIS, prædictæ Reipub: Consulis meritisissimi Filiam, Et nil dicam jam de avo materno DN. SIMONE MICHAELIS Reipub: Sufatensis Consule olim Amplissimo. Nihil de avunculo DOCTORE THOMA MICHAELIS. Nihil de cognato DOCTORE THOMA Merckelbach / Jureconsultis Præcellentissimis, supremi in Imperio Romano Judicij Spiræ quondam Assessoribus gravissimis. Nil de alijs consanguineis & propinquis Excellentissimis, DOCTORE GOSWINO Merckelbach / Reverendissimo ac Illustrissimo Principi ac Domino DN. CHRISTIANO Electo Episcopo Min-

B 2

denfi

denſi, Duci Brunſwicenſi & Luneburgenſi à conſilijs ſecre-  
rioribus. DOCTORE CASPARO KLOCK, Ce-  
leberrimæ Reipub: Brunſwicenſis conſiliario primario.  
DOCTORE GERLACO BUXTORF, Reipub-  
licæ Bremenſis Syndico eminentiſſimo. D. HINRICO  
KLOCK. Camera Imperialis Advocato, & multorum  
Principum Conſiliario Spectatiſſimo, eximio. Nihil de  
Majoribus, Avis, Proavis, quos omnes laudatiſſimæ Suſa-  
tenſis Reipubl: Conſules & Senatores habuit laudatiſſimos,  
prudentiſſimos.

Si jam, Auditores, ab externis ad interna procedere  
vellem, nonnè eo eſt natus genere, ijs parentibus, majoribus,  
eà familia ortus, ut ſi nullà ſuà propriaquè AFFELMANN-  
NUS virtute, ſplendesceret, fulgeretq;: fulgeret tamen Pa-  
tris Majorumq; ſuorum memoria, rebusq; ab illis & domi  
& foris fortiter, juſtè, temperanter prudenterq; geſtis, qua-  
rum nonnullas poſſem numerare hoc loco, ſi eo huc acceſ-  
ſiſſem animo, ut alios potius efferrem, quàm ipſum AFFEL-  
MANNUM; mihi enim ſatis grande proſitutum eſt argu-  
mentum, ſatis ad dicendum copioſa & ampla materia data,  
ſi unum noſtrum AFFELMANNUM ſpectaſſero, ipſum  
delegero. Laudentur à Majoribus, celebrenturq; rebus  
peractis parentum avorumq; illi, qui nihil ipſi habent, undè  
commendentur: verum ſi quis ſuis abundat laudibus, cur  
eum oneraremus alienis?

Audiviſtis, A. B. quomodò & quibus Parentibus ac  
majoribus natus ſit AFFELMANNUS. Iam percipite,  
quomodò ſit educatus, Et attentè; pluris enim eſt benè  
educari, quam benè naſci. Suſceptum igitur infantem pa-  
rentes piſſimi per Baptiſmum CHRISTO Servatori offe-  
runt,

runt, ut per lavacrum aquæ regeneratus, vitæ æternæ &  
omnium cœleſtium bonorum hæres aſcribatur, & nomen  
illi JOHANNIS imponunt. Poſtea domeſtica diſciplina  
ſedulo ipſum ad vitæ integritatem, modeſtiam, continen-  
tiam, pudorem, verecundiam, gravitatem, & quod om-  
nium maximum eſt, Pietatem, Filium conformari volue-  
runt. Nullus in educando filio ſuperſuus luxus, nulla in-  
dulgentia, ſed moderata blandities, & blanditiæ cum gra-  
vitate conjunctæ, moderatio in victu & amictu ſumma:  
& cum ætas adhuc tenera eſſet, parens ipſe domeſtico ſuo  
ipſius exemplo illum excitare ſtudit; ratus nimirum pa-  
rens optimus, non facile ad pietatem & virtutem reduci  
poſſe eos, qui pueri pravis exemplis domeſticis, quorum  
vis maxima eſt, ſeducti, à vero tramite aberrarunt: nec fa-  
cile ſanari poſſe animos eorum, quorum pueritia malà edu-  
catione corrupta, callum nequitæ obduxit: non minus  
quàm in corporibus noſtris primæ coctionis vitia, neq; in  
ſecundâ, neq; in tertiâ corrigi poſſunt.

Eximium certè parentis AFFELMANNI pro Filio  
cura & ſolicitudo encomium reportat, quam ſi jam multi  
parentes imitarentur, illorum liberi & melius haberent, &  
proficerent rectius, minusq; moleſtiæ, ac turbarum crea-  
rent. Apud Lacedæmonios quiſquis ex civibus liberorum  
educationem negligeret, civitatis jurium exſpers erat. Op-  
tandum ſanè, hoc decretum adhuc ſervari! Sed quotus-  
quiſquè de tanta re eſt ſollicitus? Ideò non abs re quàm  
ſæpiſſimè dicere ſolitus fuit Crates Philoſophus ille Theba-  
nus, ſe, ſi ita fieri poſſet, conſenſa ætiſſima urbis parte excla-  
maturum: *ô Homines, quò vultis, qui in pecunia comparan-  
da omne ſtudium ponitù, liberos verò, quibus eam relinquetù,*

*exigua cura complectimini.* His ego adjungam, inquit, Plutarchus; *id genus patrum similiter facere, ac si quis calceum curet, & pedem negligat.* Ideo & Diogenes taxans Megarensium in Filijs curandis, negligentiam, *Se malle, ajebat, Megarensium alicujus esse arietem, quam Filium:* Quo significabat, Megarenles pecoris diligentiorum curam gerere, quam Liberorum: ἀρχὴ γὰρ παιδείας ἀπίσης, νέων τροφή. Fundamentum est Reipub: totius adolescentum educatio.

Postquam AFFELMANNUS noster, pietatis, artium dicendi fundamenta in ædibus paternis, partim in Schola patria laudabiliter jecit: non delicatulum *μαμμοτρέτων* more, lacte materno enutriti, paternisq; tātum laribus litare volupe duxit, non *μιτροδιδασκ* fuit, ut junior Aristippus, *ἄντιδιδασκ*, ut Rhemius apud Homerum, & Manilius apud Romanos; sed vix Ephæbus amore scientiæ *voluntarium* exilium subijt, nullosq; labores, sudores, algores subterfugit, uberioris scilicet ingenij causa Scholam Tremoniensem, quæ tum inter Scholas Westphalicas propter BEVRHUSII & SCHAFFMANNI, in oia docentium eruditionem & diligentiam maximè celebris erat, adiit, & postea Corbachianam & Lippiensem visitavit. In quibus quanquam adhuc tener, militavit strenuissimè, & Deo benedicente eos fecit progressus, ut non tantum in cursu studiorum cum æqualibus pari gradu ambulare potuerit, sed plerosq; anteverterit, pluresque fructus, quam expectabantur, protulit. Compar Julio Cæsari, qui cum ab eo talenta viginti in redemptionis pretium postularentur, quinquaginta est largitus: Tunc enim noster Poemata facile plurima, odas, profas, & ligatas orationes facili & felici Minerva contexit:

tunc

tunc demum Præceptorum consilij Græca Latinis æquo Jove copulavit.

In Scholis his, ut vocant, trivialibus, cum primum tyrocinium celeriter, erat enim ingenij admodum felicitis ac tenacis, anno ætatis decimo quinto, absolvisset, ac linguarum & pietatis fundamenta jecisset, non hic sibi subsistendum, sed ulterius progrediendum esse existimavit, ac de parentum consilio *Marpurgum*, celebre illud doctrinæ cælestis emporium, aliquot annos fermento Calviniano conspurcatum, jam verò per Dei gratiam à quisquilijs repurgatum, velut uberiorem scientiarum mercatum, & ἀγορὰν ἐλευθερὰν concessit, ubi antè omnia de fine, ad quem collimaret, sollicitus fuit, & tum parentis consilio, tum tacito naturæ instinctu, tanquam divino stimulo Theologicum studium selegit, ad quod omnia cogitata, omnes actus dirigeret. Non secutus est quorundam morem, qui permultos annos vagabundi errant, & velut in aëre hærent, incerti, quod tandem vitæ genus inire, cui facultati se dedere & velint & debeant. Imitantur hi factum ridiculum ridiculi *Francisci Assisi*, quem rarsa cohors Jesum typicum appellat: Hic cum aliquandò ignoraret, quò primum deberet emigrare, oculos cucullo obteggit, & à fratre Massæo circumagitari se mandavit, ut illam, quam finito motu aspiceret, viam velut divinitus & cœlitus monstratam seligeret. Inter hos vero Præceptorem meum numerare non possum; ille enim, quamprimum Academiam Marpurgensem salutavit, finem maturum sibi præfixit, & se ad Dominam & Regiam artium, THEOLOGIAM puto, applicavit.

Non temerè autem, velut illoris manibus in sacrarium hoc irrupit, sed de necessarijs prius adminiculis, quibus absq;



absquē vel nunquam, vel certē difficulter ad fastigium Theologicum ascenditur, sibi prospiciendum esse prudenter putavit. Quare studium linguarum antē omnia urfit, & præter linguarum studium etiam operam artibus liberali ingenio dignis impendit. Vidit enim homo sagacissimus, quantum adminiculi Sobriæ Philosophiæ usus ad multorum locorum S. Scripturæ interpretationem afferret. Vidit periculosum esse, cum hostibus hac armaturâ indutis, nudum congregari & inermem. Testantur hoc monumenta veterum, Arrium meliorem fuisse Dialecticum, quàm Theologum: Et Julianum Imperatorem, ut Christianam religionem tantò premeret fortius, legem hanc sanxisse refert Socrates. *Ne Christiani literis humanioribus instituerentur, nam si sint, inquit Apostata, lingua ad dicendum exercitata, facile Dialecticorum, qui sunt apud gentiles, argutijs, occurrere poterunt.* Vidit quippè Iulianus, congressum fore infelicem, ubi altera pars in palastra sophistica probè exercitata; altera vero, quomodò ictus isti sophistici declinandi avertendiquē essent, perspectum non haberet. Hoc secum perpendens noster AFFELMANNUS in hac artium ingenuarum palastra etiam sibi decertandum & desudandum existimavit, in qua illum etiam optimè fuisse versatum, notis omnes, qui illum disputantem tum privatim, tum publicè audivissis, & falsum ipse dixerim, nisi indicatio mea apud omnes bonos calculum mereatur album.

Non satis autem esse linguarum tantum & artium suppellectile instructum, ad sublime Theologiæ studium accedere, piè ipse secum reputavit, cum quàm plurimos hæreticorum nullà hac in parte penuria laborasse sciret, & fieri posse, ut aliquis veram salutis viam alijs monstraret, at ipse

ta-

tamen reprobus fieret, ex verbo Dei edoctus esset. Itaq; præterquam, quod linguarum & artium liberalium cognitionem laudabilem, sibi comparavit, simul etiam animum suum rectè ad Theologicum studium præparandum putavit.

Non ergò ingenij donis singularibus & admirandis, quæ grata mente agnoscebat: non proprijs viribus, quarum fragilitatem sentiebat; non propriæ industriæ confidendum. arbitrabatur AFFELMANNUS, sed Spiritus Sancti gratiam & auxilium imploravit, hunc, ut studiorum suorum dux & lux, hunc, ut ingenij expolitor, virium suggestor, industriæ excitator esset, assidua oratione exoravit. Codicem sacrum præterea legendo & relegendo sibi fecit familiarissimum. Audiui hoc ipsum ex ipsius ore. Apellis proverbium erat in ætate virili, dicebat ille. *Nulla dies sine linea.* Meum hoc, inquebat, in ætate juvenili. *Nulla dies sine lectione Biblica.*

Cum autem non sufficiat domi legere & meditari; hinc Lectiones publicas non prætermisit, sed sæpiusculè visitavit, & imprimis ad pedes DN. DOCTORIS JOHANNIS WINKELMANNI hoc seculo *eximii sanorum Theologorum fulguris*, & DN. DOCTORIS BALTHASARIS MENZERI *præclari Theologorum syderis* frequenter sedit, quorum Lectiones, Disputationes AFFELMANNUS diligentissimè audivit, meditando sæpius repetijt, & omni studio eò direxit, ut quæcunq; ab illis proposita, sibi audita explicataq; essent, ille ad præclaram omnium rerum Theologicarum cognitionem & futuros usus accommodaret. His suis Præceptoribus exemplo Diogenis, qui ne baculo quidem ab Antisthene docente abigi potuit, semper adhæsit, cogitans illud.

C

illud.

Illud, nihil posse discipulis evenire deterius, quam si crebro Magistros ac Doctores suos mutent, si novis quotidie imbuantur disciplinis. Ut n. infans, si ab uberibus nutricis amoveatur, cui assuevit, non facile feret lactens mutationem, ma-  
vultq; fame perire, quam novæ nutricis mammis os, bella labella admove- re. Sic Juvenes, si ab eâ, quâ docere soliti sunt, disciplina prius, quam vires collegerunt, & roboris as-  
sumpserunt, firmitatem, ad novos traducantur magistros, dediscant potius, quam discant, præcipue cum nonnullorum docentium sit morbus, ut, quod alter probet, alter im-  
probet, suus sit cuiq; mos, sua docendi consuetudo. Hoc se- cum deputans AFFELMANNUS per quinquennium apud il-  
los commoratus est; Et cum anno millesimo sexcentesimo & quinto Calvinismus Marpurgi introduceretur in Theo-  
logorum prædictorum comitatu Giesam cum eis concessit, ubi etiam sub Doctoris Menzeri præsidio, cum annum ageret decimum septimum, publicè disputavit. Optimè  
n. noverat, quod Theologi accurati officium sit, non tantum sanam doctrinam (loquor cū Form. Concordiæ) dextrè propo-  
nere, sed & contradicentes, diversumq; docentes redarguere. Agricola est non solum optimam sementem facere, sed unâ infelix lolium sterilesq; avenas evellere. Sic Theologi of-  
ficium est, ut sanam doctrinam spargat, & falce veritatis errorum sarmenta refecet: in quam curam AFFELMAN-  
NUS semper fuit intentissimus.

Nominavi antè Doctorem JOHANNEM WIN-  
KELMANNUM gravissimum & celeberrimum illum Theologum; hunc, dum Marpurgi degebat, hospitem sibi e-  
legit AFFELMANNUS: non immemor præcepti longè utilissimni,

Cum

Cum Doctis versare lubens & plurima discas,  
Olim etiam canis grata futura tuis.

Et quod Seneca alicubi gravissimè monet: Nullares bonorum doctorumq; Virorum conversatione magis aut honesta aut necessaria est: paulatim enim in pectora descendit, & præcepti obtinet, frequenter audiri & aspici: occursum quoq; sapien-  
tū jurant: Est aliquid, quod ex magno viro vel tacite proficias.

In hujus ergo Doctoris WINKELMANNI ædibus perseverans, ita vitam instituit, ut admodum charus ipsi fuerit: Hic ut Filium semper habuit, & amavit; Hic vicis-  
sim illum ut alterum parentem semper coluit & veneratus est. Hic blandissimis, humanitate & pietate tempe-  
rantissimis & jucundissimis verbis modò de hoc, modò de alio Scripturæ loco conferre: jam approbare responsum, jam negare, instare, urgere, diversum tueri, inconvenien-  
tia monstrare, nec cessare aut finem facere, dum apertissima quæ sit lux & veritatis splendor dilucidissimè fulgeret. Qui-  
bus quotidianis colloquiis noster AFFELMANNUS sæ-  
pè numero una in hora, & familiari eaq; lætissima collatio-  
ne, cum suo Præceptore majores fecit cum jucunditate & voluptate profectus, quam plures alij, quibus ejusmodi occasiones negatæ fuerunt. Viva namq; vox penetrat: viva vox ad quæ sita promptè respondet, si quæ vel obscura aut dubia occurrunt, expeditè interpretatur, & quanquam fructum non statim, tamen paulatim reportamus longè uberrimum.

Hæc via, hæc ratio, hæc methodus fuit, quibus AFFEL-  
MANNI nostri studia auxilio Spiritus Sancti & ardentissi-  
marum precum, quas in omnibus sanè rebus feliciter susci-  
pien-

C 3

piendis, promovendis, peragendis, maximè verò omnium in Theologia studio ac stadio, principium, medium, finem esse unicè oportet, in eam ἀκμῆν, quam vidimus, admirati sumus, deducta fuere.

Nos Comilitones suavissimi, Amici plurimum honorandi, dilecti, (cum optimis & devotissimis Theologia studiosis loquor) in nostris studijs eandem viam insistamus, eadem premamus vestigia. Nostis vel me tacente, initium omnium virtutum esse PIETATEM, quâ sine ne hominem quidem Christianum, nedum Theologiae Studio sum esse licet. Cum enim ea, circa quæ propriè versatur Theologia, non humanæ mentis, opis & cognitionis sint, ad quam naturalis homo sui ingenij viribus anniti & penetrare possit, sed abscondita omnia humanæ mentis acumini: abstrusa omnia: divina omnia: ab eo certè solo, qui hæc humano generi in verbo suo revelat, cognitio rerum Theologicarum petenda, obtinenda consequenda: id quod nos Regij & egregij Prophetæ Davidis exemplum optimè edocere potest, qui licet divinissimarum rerum cognitionem, & admirandæ prophetiæ donum ac bonum haberet; nihilominus tamen, ut sibi verbum suum Deus ostenderet, legem suam interpretaretur, vias suas monstraret, in suis Psalmis quotidie Deum precatus est. Nos ergo, qui ad S. Sanctæ Theologiæ studium animum adiecimus, & in hoc amplo stadio versamur, & ad exoptatum finem aliquandò illud deducere cupimus; hæc exempla nobis proponamus, Audimus præeuntem Davidem, sequamur: Videmus exemplum nostri Præceptoris, attendamus: eventus felix & exoptatus respondebit, viriliter annitamur: Simus & nos, ut sic dicam, sacrorum librorum.

rum helluones, semper præmissis, intermixtis & subjunctis precibus votisq;. Sic optimè nostro officio præerimus, & Dei præsentiam & auxilium in omnibus nostri officij partibus nobis certò persuasum habeamus. Sed quò prolabor? ad AFFELMANNUM nostrum revertor.

Hactenus ille in Academijs, quasi vitam privatam transegit; iam verò in publicum progreditur, ex vocatione & voluntate divina, in Ecclesia Deo hominibus inserviturus. Sed video quid rei sit, per singulas nimirum orationis partes novæ mihi & majores difficultates oriuntur; præcedentia enim capita, eâ fortè dicendi ratione persecutus sum, ut illis benignæ aures aliquatenus contentæ esse possent: jam autem accedendum ad majora: deveniendum ad virtutes & præclara dona, quibus benignissimus Pater AFFELMANNUM liberalissimè ac abundantissimè, donavit, ditavit, & in Ecclesiæ utilitatem paternè & mirabiliter adauxit. Quibus omnibus rebus ritè decenterq; exponendis, ut magnitudini rerum orationis gravitas responderet, longè major verborum ornatus & elegantia adhiberi debebat, quam mea in dicendo tenuitas assequi vel adumbrare potest. Pictores hac in parte imitabor, qui cum in una tabula multa exprimere conantur, quorundam saltem capita, aliorum corpora tota depingunt: Sic Ego summa sequens fastigia rerum, primas tenuissimo penicillo ducam lineas; vestrum est, Auditores, vivos addere colores.

Postquàm ergò AFFELMANNUS annis quinq; in Academijs Gissæ & Marburgi commoratus esset: Hanc nostram Academiam est ingressus, Anno millesimo Sexcentesimo & septimo, ubi cum substitisset biennio nec dum integro, optimi hujus Theologi pietas virtus & eruditio

publicè innotuit, ita ut optimos quosq; imprimis verò Amplissimū hujus urbis Senatum in sui admirationem alliceret: quapropter cum eum Academiæ huic præsidio & ornamento fore singulari prospiciebant Prudentiores, Eum in locum Admodum Reverendi & Clarissimi Viri, DN. D. LUCÆ BACMEISTERI Magnificus & Amplissimus hujus Urbis Senatus inter suos Professores Theologos coaptavit, dūm agebat annum vigesimum primum, quo ipso & summos in Theologia honores & axioma DOCTORIS magna cum laude est consecutus.

Percepistis A. B. C. AFFELMANNUM nostrum, annos *quindecim* natum esse ad Academiæ ablegatum, audivistis illum, cum ætas ei esset *septendecim annorum*, publicè Theologicè disputasse; jam auditis, illum *anno vicesimo primo*, exemplo incomparabili suprema honotis Theologici laurea maximo omnium stupore & applausu exornatumquè condecoratumq;: Admiramini mecum Auditores summa dona ingenij nostri AFFELMANNI. Phosphorus hic noster juvenis valdè velut stella matutina ingenti omnium admiratione & congratulatione in ipso anni vere pietatis ac justitiæ Doctor ac populi Ductor creatur, pronunciat, proclamatur: Solis hoc jubar clarissimum in ipsa aurora Musis gratissima ingenij ac doctrinæ radios longè lateq; diffudit. ô sapientissimum non minus quàm utilissimum Senatus Academici consilium, quod Adolescenti huic nostro publicam docendi autoritatem in ipso etiam ætatis vere floridissimo commendavit! Vidit scilicet, quantum doctrinæ, quantum judicij in hoc scientiarum plurimarum promptuario copiosissimo fuerit repositum: Vidit quod hic aptus natus esset, adeoq; ipsi naturà infixum, quod juveniles

sta im

statim lacertos Reipub: literariæ ac potissimum Theologicæ corroborandæ impenderet, Academiæ hanc nostram floridissimam instar rosæ albicantis fragrantissimæ affaret, cujus odor suavissimus ad alias quoq; Academiæ, Ecclesiæ & Scholas dimanaret: Nec consilium hoc prudentissimum eventu fuit destitutum suo: Ex hac enim Academia tanquam ex Equo Trojano quotidie prodierunt, qui vicinorum regnorum Ecclesiæ & Scholas regerent ac gubernarent. Testis est omnium communis nostra patria Germania: Testis est Dania, Testis est Suecia. Testis est Borussia, Silesia, Bohemia, Ungaria:

Prodeat aliquis ex universo hoc Auditorio amplissimo in mediū, & præter hoc, & quæ præterea pauca fortè succurrunt, exempla producat, quod Theologiæ Studiosus præcipiti hoc ætatis vere Doctoralibus infulis ornatus & inauguratus sit. Sanè qui vel infans in Theologia eamq; leniter vel extremis labijs degustavit, hunc latere haud potest, hæc scientia, quam Theologiam vocamus, quantò sit præ alijs omnibus Facultatibus ob variarum linguarum scientiarumq; fundamentalem cognitionem insigniumq; donorum, quæ in sacrarum literarum Consulto requiruntur, excellentiam, difficilior; & tamen ô beatissime DOCTOR has tantas objectas difficultates sedulâ curâ ac diligentia solerti superasti ac fregisti, adeoq; hoc præmaturo ingenij specimine significanter ac dilucidè vaticinatus es, te ad Academiæ Academiæ propediem migraturum, atq; ibidem Doctorem Doctorum ipsum magnum Prophetam Archiepiscopum nostrarum animarum ab ore ad os, à facie ad faciem profitemem, auditorum; tacitè omnes pietatis ac divinæ sci-

sci-

scientiæ cultores invitasti ac convocasti, ut occasionem fronte capillatam boni consulere, teq; dum in vivis esses, perorantem, & de gravissimis fidei Christianæ articulis disputantem audirent, ne occasione hac neglecta frustra tandem tuum ex hac vita discessum deplorarent, aut etiam multis gemitibus reposcerent. Sed quotus quisq; est, qui hoc tuum vaticinium exactè ponderavit? Nemo. Mundus ingratus hoc non agnovit, ideo Deus justissimus Hesperum hunc lucidissimum mundo monstratum in ira sua ab oculis & conspectu ejusdem subtraxit, & in cœlestem Academiam avocavit. Sed quorsum digredior? refero pedem, undè digressus.

Sic ergò AFFELMANNUS jam Doctor & Professor in id summo studio incubuit, ut spartam, quam nactus erat illustrem, magno cum Ecclesiæ & Academiæ emolumento egregiè ornaret. Etenim cum duæ potissimum sint virtutes, quibus ornatum esse oporteat Ecclesiæ Doctorem, videlicet *Fidelitas* & *Perspicuitas*, utriusq; certè laudem etiam AFFELMANNUS sibi vendicat. Nam (quæ *Fidelitatis* nota potest esse maxima) in interpretandis S. Scripturæ codicibus, pro ea, quæ in tribus linguis pollebat peritiâ, primùm ipsa verba, singularum Phrasium, sententiaq; verum & genuinum enucleabat, investigans simul & retegens argumenta, quæ sub verbis alioquin simplicibus & contractis delitescerent, obscuriores phrasas apertis & dilucidioribus explicabat, mox Locos communes ex textu fluentes eruebat. Cæterùm (quæ *Perspicuitatis* virtus est) methodi semel sibi præfixi erat religiosè observans, & omnia quantà perspicuitate, poterat, proponebat: non leviter & etiosè ad ostentationem verborum molem cumulabat, sed necessaria  
bre-

breviter & nervosè concinnabat, non Auditorem dubium relinquebat, sed controversiam propositam eruditè & solidè dicidebat. In dissertationibus, quæta ejus fuerit *solertia* & *sagacitas*, quanta *pollentia* & *perspicacitas*, hæc pulpita testari, & vos Auditores vobis ipsis testes esse potestis *αὐτανεσταί*.

Conciones, quantà cum gravitate & jucunditate conjuncta habuerit, ad templorum nostrorum parietes & scamna provocare, nisi Auditorum animos præferendos decere, in quibus, quando & quoties illas habuit, habebat autè rariis, semper semina Pietatis, Doctrinæ, Fidei, Charitatis Christianæ reliquit, & tanto cum applausu fecit, ut dona hæc admiratus sit Magnificus & Amplissimus hujus Urbis Senatus, qui ei functionem Ecclesiasticam obtulit, quam tamen sicut usus consilio non acceptavit. Famà hæc Illustrissimus, Præcellissimus ac Laudatissimus Princeps Megapolensis, DN. ADOLPHUS FRIDERICUS, Dominus meus clementissimus, excitatus, qui eum anno millesimo sexcentesimo & decimo nono ad se Swerinum vocavit, auditum munibus clementissimè affecit.

Nec hoc silentio prætereundum esse censeo, quantus ei per universam Germaniam Theologorum multorum numerus fuerit amicissimus. Mirantur multi, quæ fiat, quod tantoperè Alexandrum Magnum, Themistocles, Scipiones, Curiones, Fabricios, ut & ex Christianis virtutibus insignes, ubicunque terrarum heroicâ virtute & eximiâ doctrinâ præditos admiremur, collaudemus, diligamus? Respondent, quorum de meliore luto finxit præcordia Phæbus, rerum naturalium rimatores sagacissimi, peritissimi, istius rei causam vel fortitudinem militarem, vel divitiarum contemptum, vel invictum animi

robur, aut virtutes alias esse, quibus homines ad diligendum provocantur. Sunt enim hæ honestissimarum voluntatum, æquissimarum sententiarum, probatissimarum actionum quasi matres & conciliatrices bonorum omnium. Annò eodem modo, eademq; ratione de AFFELMANNO interrogati, quam ob causam ipsum tanti Theologi remotissimis in regionibus constituti, amarunt, celebrarunt? Respondere jure possumus, ipsius Pietatem, Eruditionem, morum integritatem & Dona, tantam sui admirationem excitasse, & sibi multorum amicitiam peperisse. Et si verum est, quod refert D. Hieronymus, *Plures T. Livij temporibus à Gadibus Romam venisse, qui disertissimi scriptoris historiam agnoscerent, quàm qui Romanorum triumphis laetarentur.* Nescio sanè num verius esse possit, plures amicitiam AFFELMANNI exoptasse, & ipsam literis invisisse, doctrinam omni eruditionis genere refertam admirantes, quàm qui cætera Germaniæ curarent multum. Credite mihi solis his vel recensendis, dies insumeretur. At non necessarium esse autumo, cum omnibus hoc sit obvium & planum.

Ad labores Academicos jam revertor, & de monumentis, quæ posteritati reliquit, pauca addam. Anno millesimo sexcentesimo & nono, suæ professionis primo, *Johannes Lampadius* apud Bremenses Sacramentarius (ita enim illum vocabat) Basilisens, Beato Doctore PHILIPPO NICOEI Theol. Hamburgensi squamosis chartis oblitescere incipiebat, chartas has appellabat *Censuram*, & materiam scripti volebat de Christi secundum humanam naturam esse Omnipræsentia, eaq; universali apud omnes, & restricta in Ecclesia, quæ impugnabat, contendens, Christum secundum humanam Natu-

ram

ram celo contineri, hoc est, ut interpretor, Aëre includi, vel ab Advenarum retentrice, quæ LOTOS dicitur apud Symmachum, detineri: Hujus Calviniani argutias & sophisticaciones solidè confutavit, elisit, profligavit, ut jugulum causæ Sacramentariæ penitus fregerit, incideritq;, & ardua illius controversiæ decisio, tam brevis quàm solida, in qua Doctissimus & Optimus quisq; acquiescere queat, meritò primitijs illis AFFELMANNIANIS secundum sacras Scripturas, accepta sit ferenda. Quod scriptum, quanti fecerit Cordatus ille Theologus, Doctor CUNRADUS SCHLUSSELBURGIUS p.m. Ecclesiæ Stralsundensis olim Superattendens, ex Carmine præclaro & gravi, libro huic præfixo, constat.

Anno millesimo sexcentesimo & decimo sexto incidit in Scripta aliquot, edita à novellis quibusdam Westphaliæ turbatoribus, sive Logistis, sive Formistis, sive Sophistis sive Papistis conscripta, & ad decipiendum simpliciores directa. Ex his scriptis primum tractatum, qui erat de INVOCATIONE SANCTORUM selegit, & novis illis Instructoribus gnæviter & graviter se opposuit, illorum hæresin ex verbo Dei solidâ perspicuitate & perspicuâ soliditate nervosissimè refutavit. Qui sanè Tractatus, quantam commendationem apud Pios & Doctos quosq; jure suo mereatur, malo vos ipsos judicare, quàm me in tanta temporis angustia insufficienter de eo verba facere. Noverunt, qui controversiæ Esauitica perplexitatem & amplitudinem paulò altius cognitam perspectamq; habent, quot & quàm crassa volumina de hoc negotio à diversis in orbe Christiano sint edita, ut illis singulis evolvendis vix annus sufficere possit. At vero, quod citra cujusdam injuriam dixerim, AFFELMANNUS noster uno isto suo tractatu, eoq; haut ita pro-

D 2

lixo

lixo universa ea, quæ hinc inde satis confusè, dispersa dil-  
litaq; jacebant, ita argutè, ita nervosè, ita breviter & me-  
thodicè complexus est, ut hic omne tulisse punctum mihi  
videatur, judicet, qui judicare potest, sed *à vè. woxe. i. u. a. l. e.*

Nec etiam, quod certò scio *Johannes Crocius* olim Cal-  
vinianus Marpurgensis, sine responso abijisset, si Deus vi-  
tam ulteriorem ipsi indulgisset. Non dicam jam de erudi-  
tis, quas divulgavit Disputationibus, *De Persona & officio*  
*Christi, de Prædestinatione, De peccato, de justificatione, De*  
*Baptismo, de Eucharistia*, quibus haud infeliciter contra  
Adversarios pugnavit: Edidit & alias permultas, quæ quia  
in omnium manibus versantur, nihil attinet dicere.

Vidistis hæcenus Auditores & audivistis Professore,  
egregium Ecclesiæ Dei Doctorem; Jam Maritum vobis pro-  
ducam. Anno eodem, quo laureâ Doctoris ornatus, hone-  
stè amare cœpit virginem lectissimam & pudicissimam AN-  
NAM CORFINIAM, Amplissimi Prudentissimiq; Viri  
DN. JOHANNIS CORFINII, Consulis hujus Reipub:  
benè meriti p. m. Filiam, qui cum eam legitimè ambiret;  
facile etiam exambijt, & in matrimonium elocatam accepit.  
Quod matrimonium ad exemplum boni conjugij poterat  
sufficere. Fuit enim, si Deum spectes, religiosissimum, si  
iplos conjuges, spectatissimum, si societatem conjugalem,  
jucundissimum, &, ut verbo dicam uno, quàm diu non  
solutum fuit, felicissimum. Uxorem enim nactus est non  
imperiòsam, at *Polla* quòndam erat: non rixosam, ut *Afra-*  
*nia*, non morosam, ut *Xantippe*; non luxuriosam, ut *Messa-*  
*lina*, non impiam, ut *Jesabel*; non superbam, ut *Vashti*; Sed  
talè, in qua *Sara* eluceret humilitas, *Rachel* frugalitas, *Tabi-*  
*tha* benignitas, *Susanna* castitas, & *Esthera* pietas. Ex quo effe-  
ctum

ctum est, ut nunquam necesse illis fuerit templum Deæ *Viri-*  
*placa* accedere, in quo Romæ olim Maritus & Uxor disiden-  
tes convenire, & in gratiam æquisimè animis redire sole-  
bant, teste *Valerio*. Nam quod T. Pomponius Atticus apud  
Cornelium Nepotem de se olim gloriatus est, *nunquam* cum  
conjugè in gratiam se redijisse, quia scilicet nunquam inter  
iplos offensæ quicquam aut jurgij intercesserat: gloriari de  
eodem jure optimo noster AFFELMANNUS potest,  
qui à primo conjugij momento ad ultimum usq; nunquam  
uxori reconciliatus fuit, quia nunquam ipsi iratus, nec ipsa  
contrà illi.

Apud Galatas in sponsalibus ex eodem poculo vir &  
uxor *simul* bibebant, ut communi more eas nuptias probè  
contractas & conjugum concordia indicaretur, referente  
Alexandro ab Alex: Quod isti ritu hi cõjuges ipso facto præ-  
stiterunt. Quanquam n. conjugium hoc non fuerit facun-  
dum, nec habuerint thesauri matrimonialis fœnora, lecti ju-  
galis chara pignora, fuit tamen secundum: Alter alterum  
amicè compellavit, & exemplum Elkanæ, suam uxorem con-  
solans his verbis, *Annòn Ego tibi sum vel decem filijs potior*,  
imitati.

Video jam Auditores B. de brevitate mihi esse labo-  
randum, & constringenda esse plurima, quæ meritò ampli-  
ficare possem, imò fortè deberem: Sed vestræ in audiendo  
patientiæ habenda mihi est ratio, & jam dudum ultimus vi-  
tæ vel morris potius AFFELMANNIANÆ actus ad se quasi  
vocare, & hanc orationè absolvere mihi videtur, de quo jam  
jam dicturus, si prius tanquam in transeursu margaritas ali-  
quas vitæ AFFELMANNIANÆ venum ponam.

Regina & quasi mater omnium virtutum est  
D 3 vera

vera FIDES sincera & illibata; hæc sola Christum Servatorem nostrum apprehendit, & res adhuc in spe positas repræsentat, ac invisibilia veluti oculis subijcit. hæc deinde in vitæ Christianæ usu, præclare factis se exerit, ut ab omnibus videri possit: Tali fide in Christum divinitus donatus ac dotatus fuit AFFELMANNUS, quâ certus erat de promissionibus & merito Christi, quâ firmiter credebatur, peccata sibi solum remitti propter Mediatorem nostrum unicum, se perfrui Dei gratiâ, se esse coheredem beatitudinis æternæ. Nactus sit Julius Cæsar orbis dominium. Lucratus sit Nebukatnezar Rex Ninivitarum in permultas regiones imperium: longè majus est hominis Christiani Bonum, qui credit in unigenitum Dei Filium, Quid enim illi nacti, quid lucrati sunt, quod non rursus amiserunt & amittent, magno animarum suarum damno? At Christianus scuto Fidei indutus, cælo, solo, solo ac inferis dominatur, & in altera vita Deum à facie ad faciem videbit; cum Impij interea, quantumvis potentia hic valent, non tantum illuc inglorij, sed à gratia etiam Dei extorres sempiternis inferorum tormentis cruciabuntur.

Sed quemadmodum excellens parentum natura nullâ tabulâ melius exprimi potest, quàm generosa filiorum indole: Sic salvifica Fides nulla ex re clarius perspicitur potest, quàm ex rectè factis, ex pietate, humilitate, modestia, *φιλανθρωπία*, beneficentia. Quæ quidem omnia & singula in AFFELMANNO nostro visa sunt. Nam quanta pietatis devotione à juventute inflammatus fuerit, non tantum ex illis recordamini, quæ in superioribus exposita sunt; sed ex ijs etiam, quæ ipsi audivistis, vidistis, cognovistis, certum atq;

atq; demonstratum est. Quantâ etiam pietate & veneratione Numinis divini sacras literas in hoc Auditorio sit professus, & in cunctis operibus gloriam Dei proximique salutem promotam cupiverit, novistis omnes, audivistis omnes.

Secundum pietatem nulla alia virtus est, quâ nos ad Deum proximius accedere possumus, quàm *Humilitas*. Etenim Magister noster Jesus Christus ad sui imitationem nos invitaturus, non dixit, *Discite à me*, quid? non mundum fabricare, non cuncta visibilia creare, non in mundo miracula facere, & mortuis vitam donare: Sed *quod mitis simus & humilis corde*. Quo quisque igitur est major, hoc se gerat submissius. Quâ in parte AFFELMANNUS plurimum excelluit. Quanquam enim præclaris donis Deus O. M. illum exornasset (in quibus modestè acquiescebat) nihil tamen excelsi, nihil superbiæ animum ejus unquam inquinavit. Sæpè in mentem sibi revocabat illud Paulinum. *Quid habes homo, quod non accepisti? Sin autem accepisti, cur insolescis?* Optimè callebat, nullam esse virtutem Christiano homine æquè necessariam, commodiorem, & ad omnium nominis celebritatem conciliandam accommodatior, *modestia*, animoque submissè de se existimante. Quod si hominum mentibus prælucet modestiæ facibus accensum lumen, non tot ventilarentur incendia, quibus deflagrat universa ferè Respub: literaria; tot vitiorum & akercationum non modo in prophanis, sed etiam in cælestibus (proh dolor!) & captum nostrum excedentibus procellæ, quibus inundatur quassata & fragilis mortalium cymba, non excitarentur.

Quid referam de summâ *Humanitate* nostri AFFELMANNI? Vana est vita nostra, & fortunæ, quæ pinnas suas



suas apprehendi non sinit, vicibus, sicut incerto motu luna, circumvolvitur, ut nec muscæ, quantumvis celeriter volantis tanta sit pernicitas, quanta est rerum humanarum conversionis volubilitas. Colchon herba unum diem durare dicitur. Et insectum Ephemerum manè infans, juventutem tenet meridiè, vesperi autem senio conficitur & emoritur. Quibus autem oculis, quàm quibus tale Ephemerum animalculum intuemur, inspicere possumus alijs nostram felicitatem? Est enim eà nihil fugacius, nihil vanius: ut non tantùm vanitatis sit in umbræ somnio, quantum est in rebus humanis, etiam cum sunt splendidissimæ. Vera medicere, testatur suo exemplo Lucia, Aurelij Imperatoris Soror, ac uà filio lactente, inter lusum & risum necata: hoc comprobatur rex superbissimus Nebuchodonosor, præter expectationem de folio regio ad feras detrusus: hoc David rex pijsimus: hoc Salomon sapientissimus: hoc Absolon formosissimus, hoc Hiskias sanctissimus: hoc Iosaphat devotissimus: hoc Annibal crudelissimus, Cicero eloquentissimus affirmant & docent. Et tamen mirare, quàm multi inflati sint insolentiâ, omnes despiciant, omnibus se anteferendos existiment. Consecutus est quis divitias? mi Deus, quàm ille magna spe elatus, & audacia alatus volitat? Si opes ejus adolescant? ut omnibus antecellat, & nullus sibi præferatur, unicè studet. Si quis doctrinâ, rerum cognitione, & scientiâ instructus? flos hominum politiorum, eruditorumquè Coriphæus vult statim salutari. Noster AFFELMANNUS memor erat rerum humanarum & fragilitatis & inconstantiae, earundem cognitione se non efferebat, sed comis erat sine scurrilitate, affabilis sine levitate, humanus sine despectu: Norunt familiariter, illo qui usi fuerunt,

runt, eà ipsum humanitate atq; benignitate extitisse in omnes, ut nemini facile operam suam denegaret, aut suis tantùm inservire commodis, non alijs etiam prodesse desideraret.

Nil dicam jam de pietate & humanitate in pauperes, & difficultate aliquâ pressos, quibus sine ullâ cunctatione subvenit. Nemo ad illum venit, cujus inopiam non sublevarit, & hinc ab omni avaritiâ ac sordibus longissimè eum abfuisse patet, contentus fuit præsentis sorte & conditione, ut qui ex sacris didicisset, Divitias nostras non in mundo, sed in cœlis quærendas esse.

Taceo nunc, quoties *Rektoris Magnifici* munus in hac Academia sustinuerit, idq; cum incremento Academiae & laude & splendore gesserit, nutantemq; disciplinae statum fulcire, & in melius reformare nunquam superfederit. Visus est AFFELMANNUS cum Clarissimis collegis suis magis benevolentiam, magis animi demissione, officijs & beneficijs, quàm de dignitatis gradu certare, atq; in contentionem venire. Hinc nulla Academiae convocatio, & consilium de rebus & negotijs gravioribus instituebatur, quin ejus opera & præsentia expeteretur.

Taceo reliqua, quæ omnia si vellem proferre Auditores, AFFELMANNI virtutes in dubium vocare videri possem, cum vel me tacente AFFELMANNUS vobis satis fuerit notus, AFFELMANNUS, inquam, cujus similem non tam sperare, quàm optare nobis licet. Oprat Agamemnon apud Homerum *decem Nestores*, quorum prudenti consilio & solerti operâ uti posset. Nos si decem *Affelmannos* haberemus, non esset nunc, quod vel *Witeberga*, vel *NeoMar-*

E

pur-

*purgum*, vel *Lipsia*, vel *Iena*, vel nostra etiam *Rhodopolis* tam sollicitè homines quæreret.

Sentio jam *Auditores omnium ordinum Præstantissimi*, me tandem ad calcem orationis meæ pervenisse, ne delibata quidem, ne dum ornata aut commemorata saltem virtutum *AFFELMANNIANARUM* insigni nobilitate. Ultimam ergò *AFFELMANNI* nostri tangam metam, & ex hac miseriarum ualle & colle egressum. Testantur illi, qui vitæ & studiorum ipsius rationes accuratiùs observarunt, consuevisse illum non integro modò die, sed & post peractam cænam in profundam usq; noctem scriptionibus & meditationibus operam dare, quibus continuatis vigilijs, lucubrationibus & laboribus ille quidem famam nominisq; immortalitatem est consecutus: Ad illam vicissim ventriculi imbecillitatem, cum aliàs etiam phthisi laboraret, & humorum *καταχυμίων* contraxit, quæ tandem etiam intempestivam mortem attulit.

In morbo ipso usq; ad extremum vitæ halitum semper eundem tenuit patientiæ & pietatis & religionis modum. Nam ab illo tempore, quo morbus ipsum primùm est adortus, in valetudine secundâ cum optimè valeret, totum se mancipaverat Deo, & antecellere in virtutis studio concipiebat: Sic cum morbo urgeretur, operam sanè maximam dabat, ne à ratione officij sui & à pietate, quam consecratur, transversum unguem discederet, & quàm diu decubuit, vocem nullam, spiritum nullum emisit, testem alicujus impatientiæ, ac si omni dolore vacaret, sic ferebat morbum: Speravit quidem à Deo valetudinem, quàm illi spem ætas & animi robur & assiduitas Medicorum, & memoria sæpè curatorum aliorum periculosiorum morborum confirmabant: tamen

tamen permisit Deo, ut quod visum esset de se constitueret, planè lubensq; ipsius se subjecit voluntati, paratissimus ad mortem, si Deo placeret. Sed cum morbus ingravesceret, & spem planè nullam retinendæ vitæ reliquam esse sineret, die Februarij vigesima, octava hora dimidia undecima ante meridiana in ardenti invocatione numinis divini in constante & exultante ac consolationis vivificæ plena fide & confessione *JESU CHRISTI* Domini & Servatoris nostri, eaq; gemitibus, suspirijs & votis, imò precibus ardentissimis ex imis cordis penetralibus depromptis sæpissimè iteratis, & ad ultimum usq; vitæ terminum continuatis, iter universæ carnis est ingressus, & navo naturæ soluto ex hoc vitæ gurgustio, quod velut generosus hospes triginta sex annos incoluerat, in cœlestem Academiam migravit, ubi nunc infulis æternæ gloriæ redimitus, stolâ candidâ amictus, in coetu piorum Deum celebrat & laudat.

Sic abiit ex hominibus, qui veræ pietatis, præclaræ & raræ eruditionis & aliarum virtutum, idea & exemplar fuit præstantissimum. Erepta est ei vita Viro, cui *Sybillæ* & *Phænicis* ætas optanda fuit. Abiit, quem luget *Theologia*, luget *Academia*, luget *Pietas*, luget *Fides*, lugent exteri Theologi, ut nuper meis narravit Theologus in Pomerania præcellentissimus, nobilissimus. Privati sumus nos Præceptore fidelissimo, orbata est facultas Theologica Collega industrio, & quod caput rei est, spoliatur doctrinæ cœlestis Veritas custode, vindice, propugnatore longè acerrimo. Quid immortalis Deus causæ & consilij habuerit, exploratum non est, cogitare tamen & suspicari non impiè fortassè possumus, Deum Trinunum acerrimam peccatorum nostrorum vindictam meditari & jam propius minitari, nisi quamprimùm

super nequam factis nostris poenitentiam agamus, & peccata, quæ in nos variè admisimus, precum & lachrymarum interuentu seriò extergamus, eluamus.

Atq; hanc ob causam Deum imminenti calamitati morte præripere certum est, quos sibi inprimis charos habuit. Sacra Scriptura iudicat ita. *Iustus etsi morte præuentus fuerit, in refrigerio erit, senectus enim venerabilis est, non diuturna neq; annorum numero computata. Cani autem sunt sensu hominis & atas senectus vita immaculata, placens Deo factus est dilectus, consummatu in breui, multa explevit tempora.* Quin & veræ Doctrinæ Christi; expertes olim gentes quædam non aliter iudicarunt, nimirum Deos, si pro pietate (loquor ex ipsorum seniu) & nobili virtute aliquâ maximè gratos se homini præstare vellent, mortis diem approperasse, quemadmodum ex antiquissima Herodoti videre est historia. Cum enim dies festus Junonis apud Argivos ageretur, oporteretq; omninò Cleobis & Bitonis matrem ad templum ferri bobus iunctis: istiq; boves ex agro ad horam præsto non essent, Juvenes exclusi tempore, jugum subeuntes plaustrum, cui mater insidebat, ad templum per quadraginta stadia pertraxerunt. Mater acclamatione congratulantis populi gaudio delibuta, proiecit se ad statuam, & supplici gestu Deum obsecrat, ut hanc tam rari exempli pietatem in filiis compenset eo, quod optimum esset homini contingere. Quid sit? Post hanc precationem filius uterq; mortui concidunt. Hoc factu, ait Historicus, ostendit Deus, se majus beneficium homini dare non posse, quàm si maturè vitâ hâc non vita exuat. Optimè etiam alicubi parens sapientiæ Seneca, *Quemadmodum in minore corporis habitu potest homo esse perfectus: ita & in*  
mino-

minore temporis modo potest esse vita perfecta. *Ætas inter æterna est. Quamdiu sum, alienum est, quamdiu vir bonus sum, meum est. Hoc à me exige, ne velut per tenebras ævum ignobile emetiar: ut agam vitam non ut prætervehar. Quæris, quod sit amplissimum vitæ spatium? utq; ad sapientiam vivere, qui ad illam pervenit, attingit non longissimum finem, sed maximum.* Cui concinit illud, quod alibi dicit, *Optimè cum ijs agitur, quos natura, quia illos hoc manebat vitæ stipendium, citò in tutum recepit.* Nec ullum, quod Plinius mihi largiatur de suo, *homini munus dari potest est superis majus, aut melius, quàm vitæ brevitatis.* Quippè vitæ laudabiliter transactæ testimonium & plurimorum malorum præcisio. Quid nobis qui Dei voluntatem rectius novimus, veræq; beatitudinis Candidati audimus, æstimandum cuivis & cogitandum relinquimus.

Hoc jam est Pietatis officium, & animi mei gratitudo erga defunctum meum Præceptorem AFFELMANNUM debita, ad quod officium ipsi præstandam me vocarunt multorum voces, quas clamantes audiri mihi visus sum: Non posse eum aut stulti & propter animi stuporem beneficium ignorantis, aut ingrati nomen effugere, qui si aliter non licet, verbis saltem conetur beneficium rependere. Eaq; de causâ legibus Persarum, apud quos Justitiæ cultum quondam floruisse accepimus, erat in eos actio parata, qui in referendæ gratiæ officio claudicarét, quod impietatis affines illi maximè viderentur. Existimabant enim illi & rectè existimabant, homines summâ ingenij perspicacitate ac solertiâ præditi, qui ingratus esset, ab eo negligi Deos, negligi parentes, patriam & amicos negligi. Ut jam mirum non sit, me mei quoq; Præceptoris virtutis laudè adornasse,

& cum omnibus virtutibus à me affectum cupiam, tum nihil est, quod malim, quam me & gratum esse & videri, & mihi candidorum hominum candida iudicia neutiquam defutura omninò persuadeo & ratum habeo.

Tu Magnifica, Reverenda, Amplissima, Nobilissima ac Ornatissima Concio, mecum extremum SALVE & VALE AFFELMANNODIC, mecumquè cordicitus patrem Domini nostri JESU CHRISTI precare, ut ipse alas misericordiae suae super nos expandat, nec secundum peccata nostra nobiscum agat; illuminet vulgum suum super Principes Megapolenses, DN. ADOLPHUM FRIDERICUM, & DN. JOHANNEM ALBERTUM, Heroes Illustrissimos, Patriae Patres, Dominos nostros clementissimos, & super omnes, qui sunt de semine Megapoliarcharum, super Generosissimas Principes, conjuges pietissimas, super Illustrissimas Viduas, expandat magnam misericordiam suam super Generosissimas novellas olivarum: Illustrissimum Principem juniorem DN. CHRISTIANUM incolumem florentemquè in multa secula, salvum conservet propter nominis sui gloriam & harum terrarum salutem; Adicias magne DEUS omnibus illis tuis servis annos, super annos, sis memor omnium sacrificiorum, quae offeruntur tibi quotidie pro ipsis. Magnifica salutes tuas super inclytam omnium & singulorum Magnificorum Nobilissimorum & Splendidissimorum Consiliariorum coronam, mirifica bonitates tuas in ipsis usquè ad caelum & ultra, effundas pie JESU abundè super corda eorum, promissum Patris tui, & Spiritum Sanctum tuum, spiritum pietatis, Spiritum consilij, Spiritum prudentiae, Spiritum fortitu-

fortitudinis ponas in medio eorum, induas eos virtute ex alto, ut habitet, maneat cum ipsis & super ipsos in aeternum: Serva pater clementissime hanc Academiam, ut maneat solium & requies tua in aeternum: Serva Amplissimum hujus Urbis Senatam cum incolis omnibus & singulis: Et sicut olim sublato Elia, Elisaeum reddidit, Ita & nobis in defuncti AFFELMANNI locum talem *Doctorem*, restitue, qui Ecclesiae sit *praesidium*, Academiae decus & *ornamentum*, nobis verò discipulis *emolumentum*. Hoc faxis ó summe DEUS, qui Trinus es in Unitate, & Unus in Trinitate, benedictus in secula sempiterna.

DIXI.



### Epitaphium.

**T**heologiae si sacro-sanctae cederet  
Mors atra, mellea Fatum facundiae,  
Arti Atropos; Theologia, facundiã  
Suã & arte JANUS AFFELMANNUS  
vivere.  
*Quod enim Planetas - inter est Sol aureus*  
Faces

*Faces - quod - inter est minores Cynthia :*  
*Hoc inter - est , Livore teste , - Theologos*  
*Aflmannus. Autor ille lucis Cynthia*  
*Animat calore flaccidas res , Cynthia*  
*Fovet vigore: Et noster hic oraculis*  
**DEI** verendis **AFFELMANNUS** eloqui  
*Nitore , & Enthei aureo Sole ingeni*  
*Atras gregis Calvi tenebras , & PATRUM*  
*Effronte fronte mentientum JESULI*  
*Svavissimi sublime nomen , somnia*  
*Mera dissipat. Fuit sed , cheu ! nam BONI*  
*Capax fuit non terra tanti. Vindicem-*  
*Acrem interim Sophos - sui Entheum dolet*  
*Hunc Eusebea quisse non servarier*  
*JANUM suam , non arte , non facundiâ ;*  
*Gaudet tamen , vereq; gaudet , atheris*  
*Scriptum esse Sanctorum choro maturius.*

*Scriptum*

à M. G. S.

ΠΡΟΣ.

ΠΡΟΣΦΘΕΙΜΑΤΑ

ad

*Præstantissimum & Literatissimum*

**DN. ERNESTUM COCCIUM**

*Viri quondam Reverendi , Excellentissimi & Incomparabilis*

**JOHANNIS AFFELMANNI**

*SS. Theol. Doctoris & Professoris in Acad. ROSTOCHIANA  
celeberrimi, Manibus pijsissimis iusta parentando  
facientem.*

**D**ignum laude virum Musa vetat mori.  
*AFFELMANNE decus Varniaca Rosa,  
Dum vixisti, bene te multa vetant mori:  
Doctrina, Eloquium, Zelus & entheus*

*Pro Vero, Pictas & Probitas suos*

*Virtutum comites cuncta ferens. Bonum*

*Et quæ Theologum, quæq; Virum Bonum*

*Magmenta efficiunt, contulerat Tibi*

*Numen propitium. Multijugâ proin-*

*Dignum laude Virum non finet emori*

*Te Fama meritis nescia subsequa:*

*Corpusculum ante diem iustificæ licet*

*Vis Lethi in cineres dissoluat suos.*

*Et Cocci pietas elogium meret,*

*Cujus, pro meritis gratus ut audiat,*

*Dignum laude Virum crena vetat mori.*

**M. CHRISTIANUS MICHAEL** Archidiaconus  
*templi Jacobini apud Rostochienses.*

**E**T Parentibus & Pijs Magistris *Cura illis pie & educationis.*

*Vix unquam æquivalens dari* *Mulus audijt à suo Magistro*

*potestur;*

*Rex quondam ille Sophum, quod*

*extitisset (lympos*

*His industria & eruditionis*

*Parum gratus in hunc. Tua ast O-*

*Morum sedula & expolitionis;*

F

ERNE.

ERNESTE est pietas vehenda  
COCCI

Dum litare Panegyri beatis  
Manibus sat agis pia verendi  
DOCTORIS, volitant per ora passim  
Cujus scripta virum, poli beatis  
Civibus numerata mens triumphat.  
AFFELMANNUS at ille vivat inter  
Clarus Celicolas, & inter ipse  
Clarus Evigenas futurus, orbi  
Dum dies triplici suprema sinem

Imponet. Mibi sit satis minuto  
AFFELMANNI Epitaphio  
beatis  
Declarasse favorem, amorem,  
honorem.  
Nostrum MANIBUS; & tuis pe-  
ritis  
Sat-fecisse simul. Valere COCCI  
Docte his te jubeo, & valere  
longum.

Raptim f.

M. GEORGIUS SCHEDIUS Scholæ  
Butzov. p. t. Rector.

Jure recordamur Doctorum, ac dona virorum  
Efferimus, domui prestata magna Dei.  
Niteris id quoniam COCCI, laudandus, & omnis  
MAGNO AFFELMANNO, qui cupit esse bene.  
Hujus enim nomen semper virtutibus manebunt  
Laudibus iccirco, condecorandus erit.

Amicitia testanda, ac erga piæ defunctum obser-  
vantia, quam dum viveret ei merito debebam, de-  
claranda gratia F.

JOHANNES COTHMAN Herv.-Westph.  
S.S. Theol. Studiosus.

PHILIPPE, Rex fortissime, Natus tibi sub tempore  
Si forte ALEXANDER tuus Stagires tui Sophi:  
Beatus audiet, quod est Profecto nosser COCCIUS  
Nobis

Nobis erit beator,  
Quod est pijs parentibus  
Natus diebus aureis  
JOANNIS AFFELMANNI! Eum  
Enim videbat sapius  
In carne; Eum creberrimè  
In ore facundo audijt;  
In flore eum miratus est,  
Quem totus orbis suspicit!

Quid? Ille ALEXANDER, tuum  
Gnatus, suum Stagircum  
Sophum (haud decebat!) frigidò  
Amore prosequutus est:  
Sed COCCIUS noster suum,  
Ut condecet, post funera  
Amore maculat fervido,  
Eiq; cippum posthumum,  
Quod is meretur, erigit!  
Fundebam

DANIEL RUELIUS, Nurnberga-Neomarch.  
SS. Theolog. Studiosus.

AFFELMANNE bonis flebilis omnibus  
Nobis, ingenium nobile cur eum,  
Nobis, os cathedram rumpere vocibus  
Divinis solitum, cur Deus abstulit?  
Te HEROEM, juvenum magna frequentia,  
HEROO ex animo oracula Numinis  
Fundentem, studio fervida, cernere  
Fixo lumine, verba oris & aurea  
Haurire, & calamo cuncta sequi cupit.  
At LUMEN moritur! LUMEN ad æthera  
Dignum Melpomene quod ferat, occidit!  
Quid dicam? tenebræ Cimmeriæ ingruent.  
Sed cum Musa virum docta veteret mori,  
Et chartæ doceant quid bene fecerit,  
Æternum decus ERNESTE merebere,  
MAGNI THEIOLOGI, dum ingenium, stylo  
Facundo celebras; Invidia hæc  
Fremant, queis calamus THEIOLOGI nocet.

L. M. Q. F.  
ELIAS TADDELIUS Rostochiensis.  
Sint

Sint Tartesiaco queis lubeat Tago  
 Cœam aut Mygdonio dicere nœniam  
 Mydæ; aut Andromachen carmine persequi  
 Setosum lacrumabili.  
 Et vati Amyciden Bebrycium bono  
 Lessus; Callicratem, Neleidem, viros  
 Tales ac alios materiam dare  
 Quis non, quæso, videt Coclest  
 At tu plurimus aptum loqueris; novum  
 COCCI dum facis & more Pericleo  
 Uerbum, & justa paras Affeliana  
 Infelicia proh dolor!  
 Sessorem cathedræ Sioniz canis  
 Eternumq; Laciburgiæ scholæ  
 Lumen; Theiologum magnanimum, Heroa  
 Fortem; cœlicolam novum  
 In terris Latij monstra Caci (Italæ il-  
 lius Persephones) perfera rumpit, &  
 Victor cum Ausonijs mysticum acriter  
 Bellum Guestfalicis gerit,  
 Uno Christomachum LAMPADIUM imperu,  
 Uno Dipnolochum RHUELIUM fugat.  
 Jam vivit morier nescius, & poli  
 Eternis fruitur bonis.

BIBL.  
 BERNHARD.  
 VRAT.



L. M. Q.  
 Amico pl. honorando meo  
 dab.

NICOLAUS Hanenfeldt  
 Rigæ-Livonus.

92 (?) 25



EPICEDIA  
 Super Obitu  
 viri

Nobilissimi, Spectatissimiq;

DN. GEORGII  
 Rohri

Senatoris in augusta Vratislavien-  
 sium Repub. dignissimi,

Ex vita miseræ & crucis, in vitam  
 gloriæ & lucis

die 2. mensis Novembris,

Anni Christiani

M DC XXV.

vespere

placidâ morte translati.

VRATISLAVIÆ.

Typis Baumannianis excusa.

